DE PROOEMIO THEOGONIAE HESIODEAE.

PARS PRIMA.

DE PROOEMIO VERE HESIODEO
SIVE DE VERSIBUS 1—35.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ACADEMIAE

GEORGIAE AUGUSTAE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GUSTAVUS ELLGER

SILESIUS.

BEROLINI 1871.

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

Marienstr. 10.

§ 1.

Exordium.

Cum Frid. Aug. Wolfi doctrina et studiis factum esset, ut homines docti et ad ea carmina, quae Homero, et quae Hesiodo adscribuntur, summam diligentiam conferrent, ad Theogoniam intellegendam, qui sunt versus a primo usque ad centesimum quintum decimum, ei plurimum valere putabantur. Ac recte quidem. Nam ut ex primo Iliadis carmine et ex Nibelungiadis quarto, quae sint horum librorum propria, inprimis elucet, ita ex hoc prooemio, quod vocatur, luculentissime cognosci potest, quo modo totius carminis forma, quam nunc habemus, nata sit. Itaque non est mirum, quod de eo multo magis quam de plerisque aliis, quae exstant, Graecorum scriptis disquisitum est, idque non modo si quis toti Theogoniae operam impendebat, sed etiam ita, ut solum spectaretur.

Sed quamquam plurimi homines docti studia ad hos tam paucos versus converterunt, tamen non modo paullatim in consensum non venerunt, sed etiam quo plures disseruerunt, eo magis inter se dissenserunt. Alii enim omnes, alii nonnullos, alii omnino nullos censoria quadam virgula notaverunt. Et quanta est

dissensio inter eos, qui in eodem genere numerandi sunt! Ac primum quidem cum omnium carminum singulae partes non modo eo spuriae iudicari possint, quod scriptori, cui tribui solent, non sint adscribendae, sed etiam, quod falso coniunctae habeantur cum eis libris, in quibus exstent: eorum, qui totum prooemium ex textu, quem vocant, eiecerunt, plerique illud et ab Hesiodo abiudicaverunt, et a Theogonia, quippe quae re vera eius opera, si non tota, at tamen maximam partem composita esset, alii, etiamsi illud ab Hesiodo scriptum esse concesserunt, tamen id a versibus, qui sequuntur, abhorrere contenderunt, alii, etiamsi ab initio cum Theogonia coniunctum fuisset, tamen, cum totum carmen Hesiodo adimerent, id quoque illi tribui posse negaverunt. Atque in primo quidem numero habendi sunt Guyetus[1]), Ruhnkenius[2]), Wolfius[3]), Lehrsius[4]), Goettlingius[5]), Osannius[6]), Deitersius[7]), in altero Muetzel-

---

[1]) Cf. Hesiodi Ascraei quae exstant ex recensione Graevii. Amstelodami 1667. P. II. p. 172.

[2]) Epistola critica I. ex edit. altera. Lugduni Batavorum 1782. p. 90. ad Hes. Theog. vv. 114. 115.

[3]) Theogonia Hesiodea edita a Frid. Aug. Wolf. Halae 1783. p. 59 sq.

[4]) Cf. censuram dissertationis Rankianae „Hesiodische Studien", adiunctam Annalibus Iahnianis a. 1840, repetitam in libro, qui inscribitur „Populäre Aufsätze aus dem Alterthum. Leipzig 1856" p. 235 sq.

[5]) Hesiodi carmina rec. Goettlingius. Editio altera. Gothae 1843. p. LI—LV.

[6]) Anecdotum Romanum de notis veterum criticis etc. ed. Frid. Osannus. Gissae 1851. p. 266—271.

lius[8]) et Gerhardius[9]), in tertio Heynius[10]), Welckerus[11]), Schoemannus[12]). Tum inter eos, qui partem modo spuriam iudicarunt, Heynius[13]) versus 1—23, Godofredus Hermannus[14]) 1. 22—24. 27—52. 104—107. 114. 115 et, cum strophicam rationem a Gruppio excogitatam amplexus esset, 1. 22—25, 26—30, 31—35,

---

7) De Hesiodi Theogoniae prooemio. Scripsit Herm. Deiters. Programma, quod dicitur, gymnasi Bonnensis a. 1863.

8) De emendatione Theogoniae Hesiodeae libri tres. Scripsit Muetzell. Lipsiae 1833. Lib. III. cap. VIII. p. 366 sq. et cap. IX. p. 391 sq.

9) „Ueber die Hesiodische Theogonie". Abhandl. der Königl. Acad. der Wissensch. zu Berlin. 1856. Philologische und historische Abhandlungen. p. 97—111.

10) „Commentatio de Theogonia ab Hesiodo condita". Commentationes societatis Reg. Gott. per annum 1779. Vol. II. Comm. hist. et philol. p. 125—154. Cf. inprimis adnotationem *t*) p. 152.

11) Die Hesiodische Theogonie etc. von F. G. Welcker. Elberfeld 1865. p. 59—68.

12) Die Hesiodische Theogonie, ausgelegt und beurtheilt von G. F. Schoemann. Berlin 1868. p. 291 sqq. Cf. Hesiodi quae feruntur carminum reliquiae. ed. G. F. Schoemann. Berolini 1869. p. 62 sq.

13) Heynius, quam sententiam in commentatione de Theogonia ab Hesiodo condita dixerat, eam in epistola ad Wolfium, quae in eius editione Theogoniae p. 144 emissa est, si non evellit, at tamen circumcidit et amputavit.

14) Hermannus de prooemio disseruit primum in epistola ad Car. Dav. Ilgenium Hymnorum Homericorum editioni Lips. 1806 praemissa p. X—XIX, tum in Goettlingi editionis censura in Opusculorum tomi sexti priorem partem recepta, denique rationem strophicam sequens in libello, qui inscribitur: „De Hesiodi Theogoniae forma antiquissima dissertatio. Lips. 1844". p. 4—7.

36. 37. 39—41, 104—107. 115, O. Muellerus[15]) 1—35. (vel 34.) 68—74. 104—115, Soetbeerius[16]) 22—24. 27. 28, 29. 30. 33—35, 104—107. 115, Gruppius[17]) 22—24, 26—28, 29—31, 33—35, Murius[18]) aut 1—4. 22—52 aut 1—21. 75—103 aut 1. 53—74, Koechlyus[19]) 1. 22. 23, 2—4, 9. 10. 24, 26—28, 29—31, 33—35, 104—106, 111—113 Hesiodi Theogoniae ab initio praemissos esse confessi sunt. Petersenius[20]) denique ab Hesiodo, alienorum carminum consarcinatore, vv. 22—35 compositos esse concessit. Postremo eorum, qui prooemium genuinum esse defenderunt, Rankius[21]) solus omnem mutationem repudiavit, Klausenius[22]) versu 75, quippe qui interpolatus

---

15) In censura de libro Muetzelli scripta. Gött. gel. Anz. 1834. p. 1369 sqq.

16) „Versuch die Urform der Hesiodeischen Theogonie nachzuweisen von Adolph Soetbeer. Berlin 1837“. p. 47—54. Vv. 104—107. 115. ad tertiam stropham, quae dicitur, a Soetbeerio coniuncti, quod eorum in textu constituendo oblitus est, cum ab aliis tum a Schoemanno l. l. p. 297 omissi sunt.

17) Ueber die Theogonie des Hesiod, ihr Verderbnifs und ihre ursprüngliche Gestalt. Von Dr. O. F. Gruppe. Berlin 1841.

18) Critical history of the language and literature of antient Greece by William Mure. London 1850. Tom. II. Appendix N. p. 506.

19) De diversis Hesiodeae Theogoniae partibus dissertatio. Turici 1860.

20) Ursprung und Alter der Hesiodeischen Theogonie. Hamburg 1862. Cf. inprimis p. 18. 30. 41 sq.

21) Hesiodische Studien. Göttingen 1840. p. 44 sq.

22) Ueber Hesiodus Gedicht auf die Musen und den inneren

esset, e textu eiecto vv. 68—74 post v. 103 transposuit, Lennepius[23]) in vv. 1—115 inesse putat aut complura additamenta, 'quae Hesiodus pro variis locis ac personis, coram quibus sua recitaret, prooemio primum ab se composito subinde adiecerit,' aut plura exordia, quae ab Hesiodo orta deinde ab aliis in unum conexa sint, Koepkius[24]) tria Hesiodi diversa prooemia opinatur, quorum primum versibus 1—34. 68—74, alterum vv. 36—67. 75—103, tertium vv. 104—115 contineatur.

Omnes has sententias, quas attuli, quoniam inter se discrepare apparet, de Theogoniae Hesiodeae prooemio aut vera iam reperta esse aut omnino non posse reperiri quispiam censeat. At qui eas ita propositas esse consideraverit, ut magis suspicione quam argumentis et rationibus colligerentur, ei non modo erit dubium, num re vera ad veritatem iam sit perventum, sed etiam non mirabitur, quod adhuc nulla earum viris doctis ita probata est, ut plerique assentirentur. Illud vero concedendum est, hanc quaestionem esse difficillimam et perobscuram. Itaque si quis eam instituit, fore, ut eam ad certum eventum perducat aliisque probet, sperare non licet, nisi omnes res, quae ad eam pertinent, accuratissime conquisiverit et examinaverit.

Zusammenhang der Theogonie und der Tagewerke. Rhein. Mus. 3. Jahrg. 1835. p. 439—469.

23) Hesiodi Theogonia. Ed. D. I. van Lennep. Amstelodami 1843. p. 129 sqq.

24) In censura editionis a Lennepio curatae. Berliner Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik. 1845. Band 1. p. 618 sqq.

Quae cum ita sint, ne terminos, quibus hoc opusculum circumscribendum est, egrediar, mihi non proposui, ut de toto, quod nobis traditum est, prooemio disputem, sed liceat mihi hoc loco de ea modo parte disserere, qua una, ut mihi videor, demonstrabo Hesiodi ipsius exordium contineri, i. e. de versibus 1—35.

§ 2.

De origine versuum 22—35.

Cum non modo dubitetur, num vv. 1—35 in unum coniungere liceat, sed etiam de origine adeo dissentiatur, ut alii eos prae omnibus Hesiodo tribuant, alii ab eo abiudicent: ut condiciones inveniamus, quibus hanc controversiam diudicare possimus, de vv. 22—35 separatim dicendum videtur. Quibus cum praeclare inter se cohaerentibus Hesiodi cum Musis congressus narretur, ut in unum conectendi esse negari non possint, id modo quaerendum est, utrum Hesiodi consilio orti sint necne.

Atque primum quidem quousque de Theogoniae textu certiora colligere possumus, non modo nihil usquam traditur, quo vv. 22—35 unquam defuisse videantur, sed etiam cum, ut res sunt, quae narrantur, summi momenti essent ad Hesiodum eiusque artem, factum est, ut pluribus et melioribus testimoniis quam pleraeque aliae Theogoniae partes confirmarentur[1]). Non dico de Scholiorum et Lexicorum veterum scri-

[1]) Cf. Muetzelli l. l. p. 368 sqq. et Lennepi l. l. p. 141 sqq.

ptoribus, praetermitto, quae attulerint Himerius, Themistius, Libanius, Maximus Tyrius, Lucianus, Aristides, Pausanias, Athenagoras, Dio Chrysostomus, M. Aurelius, Ovidius, Archias sive Asclepiades. Nam extant nonnulla testimonia, quibus, qualis fuerit temporibus primorum Alexandrinorum textus, cognoscere possimus. Cum enim scholiastes ad v. 26 dicat: *Ἀπολλώνιος μὲν ὁ Ῥόδιος λείπειν τὸν πρῶτον στίχον φησίν· οὐ λείπει δὲ, ἀλλ' ἔστι· Ποιμένες ἄγραυλοι, κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον:* etiamsi, quod Apollonius voluerit, primo non liquet, illud apparet, eum iam hanc de Musarum cum Hesiodo conventu narrationem in Theogoniae prooemio legisse. Accedit, quod apud Theodoretum de curandis gentium morbis Serm. 2. T. IV. p. 489 hic memoriae traditur Timonis Phliasi versus:

'Σχέτλιοι ἄνθρωποι, κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον'.

Similitudo cum tanta sit, ut casu orta esse non possit, aut Timo versum 26, aut qui versum 26 scripsit, is Timonem, aut uterque eundem alium imitatus est. At si Timo auctor huius versus esset, cum Apollonium Rhodium hanc partem iam traditam habuisse cognoverimus, eam illo tempore, quod inter hos intererat, compositam esse ponendum esset. Quamquam igitur ille Timonis etiam aequalis erat Theogoniaeque illo tempore iam a plurimis lectae multa exemplaria fuisse putandum est, eam subiectam esse non animadvertisset, id quod minime probari potest. Praeterea difficile demonstrari posset, quomodo interpolator ex illius sillographi scriptis versum probrosum sumeret, ut Musarum alloquio eum praemitteret. Utroque autem versu eundem alium imi-

tatione exprimi verisimile non esset, nisi in proverbi usum abiret, id quod non concedo. Verisimillimum igitur est Timonem suum ex Theogoniae v. 26 hausisse, quod hic ad illudendum ei maxime idoneus videbatur. Simulatque autem constat hanc partem iam primorum Alexandrinorum aetate in Theogonia infuisse, de eis quoque temporibus, quae proxime antecedunt, hoc exploratum habemus. Nam cum his Theogoniae studium iam longe volgatum esset et ad veram carminum formam conservandam aliquantum diligentiae collatum esse ex eis, quae de Homeri carminibus tradita sunt, appareat, fieri non potuit, quin eae res, quae paullo post tam graves videbantur, ut omnium maxime spectarentur, nullo animadvertente in textum quasi irreperent. Itaque si quis hanc partem postea interpositam esse putat, eam ante illud tempus, quo literae apud Atticos efflorescebant, i. e. Pisistratidarum certe aetate, ortam esse ei censendum est. Sed exstat testimonium, ex quo eam iam septimo seculo ante Christum natum eundem locum quem etiammunc obtinuisse videtur concludendum. Paulus enim apostolus in epistola ad Titum I, 12 hunc Epimenidis versum laudat:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Multo autem verisimilius mihi videtur Epimenidem ex Theogoniae prooemio quam eius scriptorem ex Epimenidis scriptis petivisse, quamquam hoc demonstrari non posse haud ignoro. Atque ille versus, etiamsi Epimenidi subiectus est, id quod ad perspicuum adduci non posse existimo, tamen Pisistratidarum aetate ortus esse negari non poterit.

Deinceps scriptor huius partis v. 22 ipse se Hesiodum nominat. Quod si ea ab hoc abiudicatur, mendacium est, sive quod scriptor nomen Hesiodi sibi falso indidit, sive quod sibi, cui Hesiodus nomen erat, Theogoniam falso adscripsit. At quoniam hanc partem antiquissimis temporibus iam in Theogonia infuisse demonstravi, hoc mendacium iam illis fieri potuisse ponendum esset, id quod facere non possum, quin negem[1]).

Accedit, quod interpolatores a pristina consuetudine rarissime recedunt, haec autem pars ab omnibus aliis prooemiis discrepat. Ita enim mos est, ut eis deus quidam laudetur vel invocetur, ʽsive eius natura, virtutes, ratioque vivendi exponitur, sive fabulae de natalibus narrantur, sive praedicantur ea, quae hominibus largiri soleat; nunquam autem poeta se ipsum nominat ac de se narrat. In solo hymno in Apollinem Delium[2]) poeta de se loquitur, sed nec nomen suum professus nec copiosam narrationem inserens[3]).ʼ Quis igitur est, qui Deitersio[4]) assentiens totum prooemium, quod nobis traditum est, idem habere concedat argumentum quod Homeri hymni, qui vocantur?

Quae autem propria sunt scriptoris versuum 22—35, eadem sunt ac quae in poeta Operum et Dierum insunt. Neque einim ille iam acquiescit in rebus ita narrandis, ut vidit et audivit, sed progreditur ad cogitandum et considerandum; quo fit, ut non modo alias res describat,

---

[1]) Cf. Peterseni l. l. p. 7.

[2]) Cf. v. 172.

[3]) Cf. Deitersi l. l. p. 11.

[4]) l. l. p. 3 et p. 11.

sed etiam de se ipso loquatur. Inprimis autem fiducia sui et superbia quadam eminet; iratus enim vel reges contemnit et despicit. Atque eadem ei tribuenda sunt, qui vv. 22—35 composuit. Nam hic quoque de se ipso loquitur et multum sibi confidit. Musas enim se dignum putasse narrans, cui munera sua praeberent, ostendit, quanto aliis hominibus praestet. Atque ne harum quidem servus esse vult. Ilias enim incipit: '*Μῆνιν ἄειδε, θεά*' et Odyssea '*Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα,*' Hesiodus autem dicit vv. 31 sqq.:

'*ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδήν*
θέσπιν, ἵνα κλείοιμι τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα,
καί με κέλονθ' ὑμνεῖν μακάρων γένος αἰὲν ἐόντων'.

Postquam igitur Musae eum poetica facultate imbuerunt, ei in universum imperant, ut deorum genera praedicet; quomodo laudet, nulla necessitate adstringitur. Apud Homerum ergo Musae versus fundunt per aoedorum, ut ita dicam, linguas, apud Hesiodum poeta ipse a Musis doctus.

Iam vero cum genuinis librorum Hesiodeorum partibus Musae Heliconiae appellentur, omnibus autem locis, quos a posteris interpositos esse ex aliis causis apparet, sive Olympicae sive Pieriae: illud quoque gravius videtur, quod eae, de quibus hac parte narratur, cum v. 23 Hesiodo in Heliconis radicibus in conspectum venisse dicantur[1]), Heliconiae putandae sunt. Quam-

[1]) Schoemannus edit. p. 300 adnotat. hoc discrimen nihil valere affirmat. At num casu fieri potuit, ut apud Hesiodum nusquam Musae vocarentur Olympicae, saepius (cf. Th. 52. 966.

quam v. 25, quippe quo Olympicae eae nominentur, ab hac sententia abhorret. At cum hic versus etiam bis in ea Theogoniae forma, quam nunc habemus, exstet, v. 52 et v. 1022, et cum unus sit, qui a brevitate orationis in hac parte discrepet, num quisquam dubitabit, quin id, quod aliis huius partis versibus docetur, repellere non possit, sed e textu reiciendus sit? Quia enim in ea prooemi forma, quae nobis tradita est, minus perspicuum videri potest, quae deae v. 24 significatae sint, non est mirum, quod quidam versum 25, ut interpretamentum esset, margini adscripsit, qui postea librariorum neglegentia in textum receptus est[1]).

Atque non modo cum eis, quae de Hesiodo explorata habemus, sed etiam quae de Theogonia statuenda sunt, haec pars congruit. Cui cum id propositum esset, ut ea, quae confusa et diversa de deis traderentur, ratione et via conecterentur, fieri non potuit, quin, quae apta videbantur, reciperentur, alia repudiarentur. Quid autem aliud illis Musarum dictis, quibus vera et falsa se nuntiare confitentur[2]), petitum esse potest, quam ut poetis licere demonstraretur inter diversas res, quae a Musis libris ante se scriptis doctae essent, delectum habere? Quod igitur Theogoniae proprium est prae

---

1021. Fragm. LXXX, 2 apud Goettl., Th. 75. 114) in eis versibus, qui ab aliis postea interpositi sunt?

[1]) Similiter iudicat Gruppius l. l. p. 54. G. Hermannus autem hunc versum in Epistola ad Ilgenium recte eiectum in dissertatione de Hes. Theog. forma antiquissima ideo recepit, quod, si eum omisisset, stropham primam complere non potuisset.

[2]) Cf. vv. 27 sq.

aliis carminibus epicis, id a scriptore versuum 22 sqq. tanta intellegentia cognitum et confirmatum est, quanta ei modo, qui illam ipsam composuerat, a nobis tribui potest. Praeterea cum Musae Hesiodum visentes nihil antiquius habuisse narrentur, quam ut eum ad deorum genus celebrandum incitarent, hanc partem ad eum certum finem compositam esse liquet, ut afferretur, cur poeta Theogoniam scripsisset. Itaque hac quoque re vv. 22 sqq. tam arte cum ea coniuncti sunt, ut ab eius ipsius modo auctore profecti esse possint. Nam si quis interpolator hanc narrationem inseruisset, eam simpliciter interposuisset, non ita mutasset, ut quomodo et cur Theogonia scripta esset, praeclare exponeret.

Orationem denique cum Hesiodo consentire pauci modo negaverunt. Brevis enim est et simplex ut in carminibus vere Hesiodeis, nihil uberius et verbose dicitur, earum modo rerum maior ratio habita est, quae ad Theogoniam intellegendam multum valent. Atque etiam singula vocabula ab Hesiodo non discrepant. Quo in genere etiamsi nihil afferri potest, quod ab eo solo profectum esse possit, tamen si alias partes contulerimus, illud quoque, quod in hac nihil ab eo abhorret, eum auctorem defendet.

Quas rationes leves esse quis est, qui contendat? Quibuscum si offensiones comparantur, quas hi versus habere dicuntur, eae plane nihili sunt. Ac Deitersius quidem, qui eas collegit[1]), 'a veterioris epicae poesis indole alienissimum esse' vult 'poetam se ipsum nomi-

---

[1]) l. l. p. 7 sqq.

nare ac de se narrare'. At cum hanc ipsam rem Hesiodi rationi dicendi consentaneam esse iam supra demonstraverimus, haec pars ab eo orta esse adeo non negatur, ut affirmetur. Accedit, quod, cum Deitersius p. 3 et p. 11 ea prooemia, quae in vv. 1—115 insint, ideo Hesiodo adimat, quia eorum similia sint, quae Homeri nomine nobis tradita legamus, equidem non video, quomodo hanc partem ideo abiudicare ei liceat, quia ab illis hymnis diversa sit. Nam si quis et quae aliorum carminum similia et quae dissimilia sunt, censoria quadam virgula notat, quid ei restat, quod probet? Quid? quod non fert 'poetam, postquam de se ipso ut alieno locutus sit, versu 24 subito prima persona uti'? Quasi vero pronomini primae personae, quod vocant, nomen substituere non liceat[1]). Quamquam enim Gruppium secutus[2]) Hermanno non assentior, qui versui 1 versum 22 adnectit, ut poeta intra quatuor versus tribus diversis modis se ipsum significet, pronomine plurali primae personae, nomine, pronomine singulari primae personae[3]), tamen ne hoc quidem reiciam, si v. 22 nonnullis versibus a v. 1 separatus

---

[1]) Plura vide in Schoemanni edit. p. 301. Cf. etiam I. Grimmi dissertationem: „Ueber den personenwechsel in der rede". Abhandlungen der Königlichen Academie der Wissenschaften zu Berlin. 1856. Philologische und historische Abhandlungen. p. 1 sqq. Inprimis autem ad hunc locum pertinent p. 5 sqq., quibus nomen pro primae personae pronomine substitutum poetae haud vanam de se persuasionem indicare ostenditur.

[2]) Cf. l. l. p. 8.

[3]) Cf. *ἀρχώμεθα* v. 1, *Ἡσίοδον* v. 22, *μέ* v. 24.

oratioque ad aliam quandam narrationem progressa sit[1]). Tum Koechlyus particulam *ποτέ* Musarum inspirationem longo a carmine pangendo temporis intervallo separantem reprehendit, at hoc iam Deitersius, quod nullius momenti est, recte omisit. Quod autem Musae v. 25 Olympicae nominantur, hic ipse non minus falso vituperat; nam cum hac tota narratione de Heliconiis dici demonstraverim, offensio in solo v. 25 inest, hic igitur unus abiudicandus est. Iam vero idem ferre non potest, quod Musae Hesiodum plurali numero (*ποιμένες ἄγραυλοι*) alloquuntur, quod, quamquam eum vehementissimis conviciis invadunt, tamen eum dignum habent, a quo ipsae ceterique dei celebrentur, quod ea, quae venerabilibus deabus plane indigna sint, dicunt. At quis est, qui Hesiodo id ipsum dicendum fuisse concedat, quod Deitersius in eius locum substitutus narraturus fuisset? Postremo e forma duas offensiones petit, quod nota illa formula neglecta v. 32 verba *τά τ' ἐόντα* omissa sint, et quod poeta Homeri carmina imitatus sit. At cum illa formula, quae est *τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα* atque Il. A, 70 et infra v. 38 ex-

---

[1]) Kayserus in censura libri a Gruppio scripti (Wiener Jahrbücher der Literatur. 1842. Band 99. p. 161) verba mutans hanc offensionem tollere audet. Corrigit enim v. 24 *μέ* in *ἕ*, v. 30 *μοί* in *οἷ*, v. 31, quia versum 32 cum Gruppio interpositum ducit, ita ut substantivo, quod est *αὐδήν*, epitheton necessarium desit, *ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδήν* in *ἐνέπνευσαν δέ τ' ἀοιδήν*. Sed quis est, qui credat? Neque minus ab omni ratione et via disserendi Koechlyus abhorret, quippe qui ex hac re vv. 22 sq. transponendos esse coniecerit.

stat, universitatem rerum exprimat, haec autem significatio verbis *τά τ' ἐόντα* omissis non tollatur, non est, cur offendamus, quod poeta metri necessitate coactus hanc formulam variabat. Atque alterum quidem ut videamus quam leve sit, eos versus liceat afferre, quibus Homeri carmina imitatione exprimi Deitersius contendit[1]). Confert enim:

v. 24. *τόνδε δέ με πρώτιστα θεαὶ πρὸς μῦθον ἔειπον* cum Il. A. 105: *Κάλχαντα πρώτιστα κάκ' ὀσσόμενος προςέειπεν* et cum Od. *ζ*, 21: *στῆ δ' ἄρ ὑπὲρ κεφαλῆς καί μιν πρὸς μῦθον ἔειπεν*, tum

v. 26. *ποιμένες ἄγραυλοι, κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον* cum Il. *Σ*, 162: *ποιμένες ἄγραυλοι μέγα πεινάοντα* (sc. *λέοντα*) *δίεθαι* (sc. *οὐ δύνανται*) et cum Il. *E*, 787: *αἰδώς, Ἀργεῖοι, κάκ' ἐλέγχεα, εἶδος ἀγητοί*, deinde

v. 27. *ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα* cum Od. *τ*, 203: *ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα*, post

v. 32. *θέσπιν, ἵνα κλείοιμι τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα* cum Il. *A*, 70: *ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα*, denique

v. 35. *ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην* cum Il. *X*, 121: *ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός* et Il. *X*, 125: *οὐ μήν πως νῦν ἔστιν ἀπὸ δρυὸς οὐδ' ἀπὸ πέτρης τῷ ὀαριζέμεναι.*

Atque si scriptor versuum 22—35 re vera inanis imitator et versuum alienorum consarcinator esset, ei

[1]) Cf. etiam Osanni l. l. p. 269 sq.

profecto ab Hesiodo abiudicandi essent. Neque vero vv. 27 et Od. *τ*, 203 exceptis similitudo horum locorum tanta est, ut alterum ex altero sumptum esse appareat, sed et qui versus ex hac parte et qui ex Homeri carminibus allati sunt, ei omnes ita orti sunt, ut omnino nullus aliorum carminum locus spectaretur. Nam id modo ex similitudine elucet, scriptorem versuum 22—35 eandem epicam dicendi rationem secutum esse, quae in Homeri carminibus esset[1]). Quod mirum non esse nunc adeo inter plerosque constat, ut esse non videatur, cur accuratius explicem. De vv. autem 27 et Od. *τ*, 203 Deitersio quaerendum erat, uter imitatione expressus esset. Nam mihi quidem dubium non videtur, quin Od. *τ*, 203, quod idoneus videbatur, qui illum locum explanaret, margini adscriptus alicuius librari neglegentia textui adiunctus sit, qua occasione *ἴδμεν* in *ἴσκε* et *λέγειν* in *λέγων* mutabatur[2]). Quod apparet non modo inde, quod hic versus in Odyssea abrupte in orationem incurrit, sed etiam ex forma, quae est *ἴσκε*. Idem enim significat atque *ἔφη* et scriptorum Alexandrinorum, Apolloni Rhodi, Theocriti, Lycophronis, aliorum propria est. Scholiastae autem ideo modo eam verbo, quod est *εἴκαζεν*, falso explicaverunt, quod hunc versum in suspicionem vocandum esse non viderunt. Atque idem statuendum est de vv. 33 et 34, quos Deitersius ex aliis carminibus haustos esse contendit. Neque enim hi ad

---

[1]) Cf. Peterseni l. l. p. 21.

[2]) Itaque ne Welckerus quidem l. l. p. 68 versum 27 e textu reiciens probari potest.

exemplum versuum 21, 105, Hom. hymn. XXI, 4 compositi sunt, sed ductos esse versus 21 et 105 ex v. 31 atque Hom. hymn. XXI, 4 ex v. 34 et infra demonstrabo et per se apparet.

Quae igitur contra Hesiodum versuum 22—35 auctorem attulerunt, eis non modo id, quod petierunt, non consecuti sunt, sed etiam quod repellere volebant, id ipsum affirmaverunt.

§ 3.

Versibus 22—35 non totum Hesiodi prooemium contineri demonstratur.

Quoniam vv. 22—35 ab Hesiodo ipso Theogoniae praemissos esse demonstravimus, hoc nobis diiudicandum est, utrum eis totum prooemium an pars modo quaedam eius contineatur. Quod eo magis necessarium est, quia utrumque ab eis, qui in hac disputatione versati sunt, affirmatum est. Soetbeerius enim et Gruppius versus 22 vocabula, quae sunt *αἵ νύ ποθ'*, in *Μοῦσαι* mutantes illud confessi sunt, plerique alios versus addiderunt.

Quam ad rem disceptandam videamus, qui finis prooemiis componendis subiectus sit! Atque constat eum in Graecorum religionibus positum fuisse. Nam aut dei, qui arti poeticae praesidere putantur, invocantur, ut carmen, quod poeta incipit, vel ipsi fundant, vel ei praebeant, cuius generis pleraque eorum poematum, quae nos habemus, prooemia sunt; aut dei praedicantur cum ob alias causas tum quia eorum dies

festi agebantur, ut eis prima verba danda et donanda esse censerentur, cuius generis plerique sunt eorum hymnorum, qui Homeri nomine nobis traditi sunt. In unoquoque igitur prooemiorum aut invocatio aut laus deorum alicuius inesse debet, et ita quidem fert natura, ut primis versibus huic officio satisfiat. Itaque cum vv. 22—35 neque ullus deus oretur neque laudetur, Hesiodi prooemium a v. 22 non esse exorsum apparet.

Aliud autem haec ipsa pars suppeditat. Musae enim Hesiodum vv. 33 sq. iubent non modo deorum genus praedicare, sed etiam

σφᾶς αὐτὰς πρῶτόν τε καὶ ὕστατον αἰὲν ἀείδειν.

Si igitur Hesiodus illud prius Theogoniam scribens exsecutus est, eum hoc quoque alterum perfecisse necesse est. Itaque supra omnino ante hanc partem pietati erga deos satisfaciendum fuisse cognovimus, nunc laudem Musarum praemissam esse colligimus[1]). Atque hoc quidem ad vv. 22—35 quoque intellegendos magnam habet vim. Nam nunc narrationem de Musarum cum Hesiodo congressu abrupte non incurrisse apparet, sed insertam esse, ut afferretur, cur poeta a Musarum laude initium cepisset.

Si autem prooemi formam, quae nobis tradita est, consideramus, hanc a laude Musarum ordiri videmus, qualem nos postulavimus. Itaque non est dubium, quin principium quoque prooemi Hesiodei usque ad nos per-

---

[1]) Falso Gruppius versum 34 in universum intellegendum esse neque quidquam valere ad hanc rem diudicandam l. l. p. 41 contendit.

manaverit, praesertim cum etiam versibus 1 sqq. de Musis Heliconiis dicatur.

§ 4.

De interpolationibus versibus 1—21 insertis.

Cum in versibus 1—21 Hesiodi prooemi partem inesse viderimus, quaerendum est, utrum omnes ei tribuendi sint, an nonnulli hominum posterorum opera interpositi sint. Atque versus 1—4 tam apti sunt, ut nemo suo iure eis offensus sit. Sed qui sequuntur 5—8, eos ab Hesiodo profectos esse nego. Nam primum quidem his versibus idem dici, quod vv. 3 et 4 narratum esset, iam Heynius[1]) vidit. Versibus enim 5 et 6 Musae lavari atque vv. 7 et 8 saltare narrantur: vv. autem 3 et 4 earum consuetudo circa fontem et aram Iovis saltandi commemoratur, et circa fontem saltare eae ideo modo dici possunt, quod eo aut lavari volebant, aut lautae erant. Quis igitur est, qui easdem saltandi et lavandi actiones et versibus 3. 4 et vv. 5—8 descriptas esse infitietur[2])? Deinde ex verbis, quae

[1]) cf. Wolfi edit. p. 144.

[2]) Quamquam Lennepius hoc ausus est. Musas enim si *περὶ κρήνην* saltare narrantur, etiam lavari dici non vidit, duas autem saltationes ideo offensionem non habere contendit, quod diversae sint tempore et loco, altera circa fontem ac Iovis aram, altera in Helicone summo. At cum differentia temporis participio solo, quod est *λοεσσάμεναι,* indicata esse possit, Musas ei putandum est primum circa fontem et aram Iovis saltare, tum non illo lavari, sed, ut hoc faciant, ad Permessum vel ad Hippocrenen vel ad Holmium proficisci, quos apparet non omnes

sunt *κρήνη ἰοειδής*, nullum alium fontem a poeta versibus sequentibus commemoratum esse perspicuum est. Nam si hoc voluisset, ille prior fons si non nomine, at tamen epitheto, quod eius unius proprium erat, ab altero ei distinguendus erat. Atqui *ἰοειδής* omnibus fontibus adici potest. Itaque qui v. 3 fecit, idem v. 6, quo Hippocrene affertur, non composuit. Adde nonnulla e ratione dicendi petita argumenta, quibus etiamsi res, de qua ageretur, non demonstraretur, tamen eam confirmari supra dixi. *Ἐνεποιήσαντο* enim et *ἐπερρώσαντο* aoristi non bene sequuntur praesens, quod est *ὀρχεῦνται*, quamquam hanc temporum varietatem aliis quoque locis exstare Schoemanno[1]) concedo. Tum *ἐμποιεῖσθαι* generis medii, quod vocatur, hoc solo loco nobis traditum est, et vel *ἐμποιεῖν* activi generis apud Atticos demum idem significat, quod 'efficere'. Homerus autem non *χοροὺς ἐμποιεῖσθαι* dicit, sed *ἐς χορὸν ἔρχεσθαι*, *χορὸν ἰέναι*, *χορὸν εἰςοιχνεῖν*, similia. Denique v. 8 tam languidus et inanis est, ut postquam duo nota epitheta substantivo, quod est *χορούς*, apposita sunt, quamquam iam vv. 4 et 7 de saltatione dictum erat, haec rursus describatur verbis '*ἐπερρώσαντο δὲ ποσσίν*'. Neque vero eam vehementius hoc loco exprimi assentior, quam ob

---

in propinquo adfuisse, postremo, ut iterum saltent, in Heliconis vertices escendere. Quis igitur est, qui eas tam temere commeasse credat? Accedit, quod, si hic conexus ab initio petitus esset, versus 5 non particulis, quae sunt *καί τε*, adiunctus esset, sed cum duae saltationes inter se oppositae essent, vocabulo, quod est *δέ*.

[1]) Cf. eius edit. p. 299 sq.

rem ne Koechlyum et Deitersium quidem probo, qui hoc discrepare affirmant a teneris pedibus, qui versu 3 Musis adscripti sint. Itaque mihi quidem non est dubium, quin vv. 5—8 ab homine posteriore profecti sint, qui cupiditati nonnullorum nominum, Permessi[1]), Hippocrenes, Holmi[2]), inserendorum eo satisfecit, quod vv. 3 et 4 amplificabat.

Neque minus postea interpositos esse arbitror versus 11—21, ut dei enumerarentur, qui a Musis noctu incedentibus laudati essent. Quod ut demonstremus, inde initium capiamus, quod Theogonia et in disponendis et in deligendis nominibus spectata est. Ibi enim dei, cum tria imperia, Caeli, Saturni, Iovis, fuissent, in tres ordines ita divisi sunt, ut quinque generum, quae nata

---

[1]) Cum flumen ab accolis *Πάρμησος* nominatum esse Crates *ἐν τοῖς Βοιωτικοῖς* docuerit, cum id, quod Schol. Ven. ad hunc locum et Schol. marg. Par. G. Lennepi dicunt: '*Τερμησὸς ὄρος, οὐ ποταμός*', non e verborum contextu coniectum, sed antiquitus traditum esse putandum sit, cum Vergilius Ecl. VI, 64, Statius Theb. VII, 283, Nicander Ther. 12, Strabo IX, p. 407. 409 Permessum scribant et Statius, quippe qui dicat: 'tuque, o Permesse, canoris et felix Hormie vadis', hunc locum spectasse videatur: Zenodoti sententia, ex qua *Τερμησός* nomen erat, nullam habere potest vim, praesertim cum non modo illa scholiastarum adnotatione sed etiam similitudine literarum T et Π perspicuum sit, quam facile hoc mendum irrepere potuerit. Vide ea, quae editores, inprimis Lennepius, attulerunt.

[2]) Utrum *Ὀλμειοῦ* an *Ὁλμειοῦ* scribendum sit, vix diudicari potest. Cum enim Boeotos spiritum asperum non habuisse falso putatum sit, ut Ahrensius ostendit in primo libro de Graecae linguae dialectis p. 168 sq., ne hoc quidem constat, utra harum formarum ab illis usurpata sit.

sunt, prima duo, quibus Chaos et Terra[1]) eorumque liberi i. e. Erebus, Nox, Caelus, Montes, Pontus tribuuntur, in primum coniungantur; qui his nati sunt, inprimis igitur Titanes, in alterum; quartum et quintum genus in tertium. Atque secundum eosdem tres ordines in vv. 11—21 deorum nomina disposita sunt. Versibus enim 11—19[2]) de Olympiis deis dicitur, v. 19 ad Titanes oratio transit, v. 20 primus ordo commemoratur[3]). Sed quid hoc consensu, in quo vv. 11—21 in universum cum Theogonia sunt, efficitur? Lennepius hanc enumerationem Hesiodo tribuendam esse ex eo collegit. At si quando Theogonia spectata est, nonne Hesiodum, quae ibi arte et ratione persequi volebat, ea ita iam cognovisse putandum est, ut non modo in universum, sed etiam omnibus singulis rebus hoc loco cum eis consentiret? Itaque non satis est, quod 'hi versus non habent *ferme* nisi illorum nomina deorum, quorum Hesiodo hoc argumentum tractanti maxime habenda ratio sit', sed eos neque in disponendis neque in deligendis

---

[1]) Cum vv. 118—122 a posteris interpositos esse existimem, Amorem quoque a deis principibus excludo, quamquam eum ab Hesiodo in Theogoniam receptum esse iam Plato nunciat.

[2]) Goettlingium sequor in versibus numerandis.

[3]) Subicio eorum deorum genera, qui hoc loco allati sunt:

1.	*Χάος.* — *Γαῖα.*	I.
2.	*Ἔρεβος. Νύξ.* — *Οὐρανός.*	I.
3.	*Ὠκεανός. Κοῖος. Ὑπερίων. Ἰαπετός. Κρόνος. Θέμις. - Ἀφροδίτη.*	II.
4.	*Διώνη. Λητώ. Ἠώς. Ἥλιος. Σελήνη. Ζεύς. Ἥρη. Ποσειδῶν.*	III.
5.	*Ἀθήνη. Ἀπόλλων. Ἄρτεμις. Ἥβη.*	III.

nominibus ulla re discrepare necesse est, praesertim cum talis deorum enumeratio omnino non potuerit inseri nisi ad eum finem, ut Musae ea quoque cantavisse dicerentur, quae in Theogonia inessent.

At si singula accuratius comparamus, hos versus non tam arte, quam modo postulavimus, cum Theogonia in unum congruere videmus.

Atque ut a dispositione nominum incipiamus, hoc non offendimus, quod quarti et quinti generis dei turbate et confuse intra tertium ordinem sequuntur. Sed num illud ferri potest, quod Themis, quae secundum v. 135 Terra et Caelo nata alteri ordini tribuenda est, et Venus, quae secundum vv. 188 sqq. Caeli genitalibus orta ipsa quoque alteri ordini adscribenda est, medio in tertio commemorantur, et quod Oceanus, qui ex v. 133 Terra et Caelo genitus una cum Iapeto et Saturno v. 19 laudandus erat, v. 20 inter Terram et Noctem affertur? Nam cum non modo omnia alia nomina, ut modo ostendi, ita disposita sint, ut tres Theogoniae ordines spectentur, sed ne alia quidem ratio ordinandi, quam exstare necesse est, inveniri possit, compositorem horum versuum Theogoniam imitari voluisse quis est, qui neget? Itaque non restat, nisi ut ea, quae ibi docta sunt, mutaverit et, cum nihil sit, quod hac re petere potuerit, eum Theogoniam non satis accurate cognovisse putemus[1]).

---

[1]) Falso Schoemannus in editione p. 40 v. 17 *Ἥβην* in *Φοίβην* mutans et v. 18 post v. 19 transponens has offensiones se sustulisse opinatur.

In deligendis autem nominibus non modo id est mirum, quod dei afferuntur, qui in Theogonia inter alios non ita eminent, ut hoc honore digni videantur, sed etiam ei omittuntur, qui in illa plerisque aliis praestant. Nam etiamsi Themis v. 901 Iovi nupsisse dicitur, tamen non video, cur eam magis commemorandam fuisse putemus quam Mnemosynen sororem, quippe quae non modo ipsa quoque ex v. 915 Iovis fuerit uxor, sed etiam Musas pepererit, quae ut praedicarentur, totum hoc prooemium compositum est, vel quam Rheam sororem, qua vv. 453 sqq. Vesta, Ceres, Iuno, Pluto, Neptunus, Iupiter nati esse narrentur, vel quam Tethyn sororem, Fluviorum et Oceaninarum matrem. Tum Hebe commemoratur, non Mars et Ilithyia, quamqam ei quoque ex v. 922 Iovis et Iunonis liberi sunt. Maxime autem offendimus, quod Diona, quamvis uno v. 353 Oceanina afferatur neque ulla re magis quam sorores distincta et ornata sit, tamen a compositore huius catalogi digna habita est, quae in eum reciperetur. Atque ne Aurora et Sol et Luna quidem ex Theogonia superiores esse videntur quam multi illi alii, qui hoc loco omissi sunt. Denique hoc vituperandum est, quod etiamsi primi ordinis Terra et Nox allatae sint, tamen Caelus, qui illius est princeps, neglegitur.

Quam ad suspicionem confirmandam id plurimum valet, quod nonnulla eorum, quibus ab Hesiodi Theogonia discrepatur, ex aliorum de deis praeceptis videntur sumpta esse. Nam v. 20 Oceanum, quem Hesiodus alteri ordini adscribit, inter Terram et Noctem insertum, Caelum autem omissum esse non erit mirum, si apud

Homerum Oceanum in Caeli locum substitutum parentem esse considerabimus non modo cum aliorum deorum tum Saturni, sed omnium rerum, Caelum autem neque apud eum neque apud populum videri deum habitum esse[1]). Tum Dionen quidem constat veterrimis temporibus Iovis uxorem habitam[2]) et posteris demum temporibus a Iunone loco suo demotam esse, cuius sententiae, cum Il. *E,* 377 Venerem peperisse dicatur, haec autem aliis locis[3]) Iovis filia appelletur, etiam apud Homerum vestigia exstant. Quamdiu igitur una ex quinquaginta Oceaninis esse putatur, non intellegimus, quam ob rem in hanc enumerationem recepta sit; simulatque autem hanc alteram sententiam sequimur, illo honore dignissima videtur. Eadem autem id quoque apparet, cur Venus non cum Hesiodo alteri, sed tertio tributa sit ordini. Themida autem ut falso loco poneret, compositorem eo perductum esse censeo, quod ex v. 135 eam Caelo et Terra natam esse oblitus versus 901 sqq., quibus Iovi nupsisse dicitur, vel Od. *β,* 68. Il. *Y,* 4. *O,* 87 sqq., quibus in Olympiorum numero habetur, spectabat. Praeterea fieri potuisse puto, ut singulares quarundam regionum religiones ad hanc enumerationem aliquid momenti haberent[4]).

---

[1]) Cf. Schoemanni opusc. acad. II, p. 29 et edit. p. 96.

[2]) Quod iam nomine demonstratur; ut enim 'Iuno' rationem habet ad 'Iovis', sic '*Διώνη*' ad '*Διός*.'

[3]) Cf. exempli gratia Il. *E,* 428.

[4]) Itaque non video, cur conici non possit, quo loco hi versus orti sint. Cum igitur Iuno v. 12 prae aliis copiose affe-

Denique ex ratione dicendi hos versus posteris temporibus interpositos esse colligi potest. Apparet enim compositorem in versibus faciendis nondum satis exercitatum fuisse. Nam versu 14 versus 918 ita repetitur, ut matris nomen *Λητώ*, cum alteri demum ordini tribuendum sit, in *Φοῖβον* mutetur, quae vox non modo nihil novi affert, sed etiam nusquam apud Hesiodum Apollini vel substituta vel adiuncta exstat. Atque eundem in modum v. 18 ex v. 371 sumptus est; differunt enim tantum eo, quod pro matris nomine *Θείη* id vocabulum insertum est, a quo v. 372, qui sequitur, incipit, et vel inusitata forma, quae est *λαμπράν*, recepta est. Atque etiam v. 21 ex v. 105 petitus est. Praeterea quamvis ingeniose Hermannus v. 15 *γεήοχον* pro *γαιήοχον* coniecerit, tamen cum in eodem versu *ἐννοσίγαιον* cum syllaba, quae est *γαι*, sequatur, et ex eo, quod in Lennepi codice Flor. *B* et fortasse in Bodleiano *γέηοχον* traditum est, non efficiatur, nisi ut haec coniectura iam ante aliquot secula proposita sit, vocem, quae est *γαιήοχον* cum brevi syllaba *γαι*, ab interpolatore horum versuum profectam esse puto, praesertim cum similiter *ἔμπαιος* apud Hom. Od. v. 379, *γεραιός* apud Tyrtaeum, *Αἰήτης* Orph. Arg. 1025 corripiantur[1]). Postremo cum

---

ratur, ut Argiva nominari possit, et Hebe sive Iuventas apud Phliasios magnam habuisse venerationem a Pausania II, 13 tradatur, re vera in Peloponneso compositi esse videntur. Cum Goettlingio autem versum 12 e textu reicere ea modo condicione liceret, si omnes offensiones expedirentur; sed multas superesse satis perspicue demonstravisse mihi videor.

[1]) Cf. Kruegeri gramm. II. § 3, 3. adnot. 1.

digamma particulae, quae est *ἰδέ*, in Hesiodi scriptis non modo nusquam indicatum sit, sed etiam versu 887 plane repellatur, eo offendimur, quod v. 19 *ἰδέ* cum digammate legendum est[1]).

§ 5.

De versibus 9 et 10 ac de totius Hesiodi prooemi contextu.

Inter duas interpolationes, quas modo e textu reiecimus, exstant vv. 9 et 10. Quos Hesiodo tribuendos esse ex initio liquet narrationis de Musarum cum eo congressu. Cum enim v. 22 dicatur: '*αἵ νύ ποθ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαι ἀοιδήν*', ex particula igitur, quae est *νύ*, consecutionem adnecti appareat, aliquid antecessisse concludendum est, ex quo illud efficiatur. Hoc autem nihil aliud esse potest, nisi ille Musarum mos versibus 9 et 10 commemoratus, secundum quem noctu in Helicone incedere solebant; hac enim re sola intellegimus, quo modo fieri potuerit, ut cum Hesiodo sub Heliconis iugo greges pascente congrederentur. Atque particula quoque, quae est *ποτέ*, v. 22 ad hunc pertinet; nam haec sibi vult: 'in aliquo horum itinerum'. Itaque cum versus 22—35 una cum vv. 9 et 10 orti sint, si illi ab Hesiodo profecti sunt, hi quoque ei sunt tribuendi. Falso igitur in suspicionem vocati sunt. Nam inde,

---

1) Cf. etiam Scut. 185. Falso Hermannus Orph. p. 812 *ἰδέ* cum digammate omnibus Hesiodi locis, quibus haec particula exstat, restituere conatur. Omnino autem digamma in versibus interpositis saepius exstare videtur quam in Hesiodeis.

quod post multa nomina, quae vv. 5—8 allata sunt, diudicari non potest, ad quod horum particula ἔνθεν v. 9 spectet, suspicio non est sumenda de origine vv. 9 et 10, sed vv. 5—8 a posteris interpositi esse etiam magis confirmantur. His enim reiectis non est dubium, quin ἔνθεν pertineat ad illud sacellum, quod vocibus, quae sunt κρήνη ἰοειδής et βωμὸς Κρονίωνος vv. 3 et 4, significatur. Ac similiter στεῖχον imperfectum non habet offensionem, nisi quamdiu versus 9 sq. versibus 11—21 a 22 sqq. separati tam arte cum vv. 1—8 coniunguntur, ut nihil interesse videatur. Cum enim v. 9 poeta a descriptione ad eam narrationem, quam vv. 22 sqq. pergit, transeat, non praesens usurpare potest, sed tempus praeteritum, imperfecto autem ideo utitur, quod actionem saepe repetitam esse vel in Musarum more fuisse dicere vult[1]). Quando autem eae in Helicone incedere consuevissent, omitti potuit, quia e verbis, quae sequuntur, cognoscitur. Nam cum Hesiodus ea narret, quae ipse vidit, cum Musis autem in Helicone eo modo tempore convenisse possit, quo sub eius iugo greges pavit: ut versus 22 sq. ex earum migratione vv. 9 et 10 commemorata efficiuntur, ita στεῖχον imperfectum v. 10 spectat ad pastionem v. 23 narratam omninoque ad Musarum cum Hesiodo congressum.

Quae cum ita sint, vv. 1—4. 9. 10. 22—24. 26—35 artissime inter se cohaerent. Primum enim poeta ipse

---

[1]) Falso Goettlingius ad hunc locum Hermanni 'de emendanda ratione Graecae grammaticae' p. 243 afferens adnotat imperfecti vim hoc loco non differre ab aoristo.

se adhortatus, ut a Musis carmen inciperet, de eis satis copiose dicit, inprimis earum sedes commemorans. Tum eo tempore, quo ipse greges sub Helicone paverit, eas noctu in illo monte incedere solitas esse narrat. Deinde hac consuetudine factum esse tradit, ut cum eis quondam conveniret et munus poeticum acciperet. Postremis autem versibus, ut solet, primos spectans, ab eis iussum se earum laudem in principio posuisse dicit.

§ 6.

De textu constituendo.

Iam vero nonnulla de textu constituendo afferre mihi liceat. Atque ut ab illo scholio ad v. 26, quod iam § 2 commemoravi, incipiam, rectissime Goettlingius ad hunc locum conclusit aut defuisse hunc versum in quibusdam exemplaribus antiquis aut versum alium ante v. 26 deesse visum esse Apollonio. Illud quidem Wolfius proposuit, at recte Muetzellius[1]), nisi v. 26 reliquis adiunctus fuisset, nemini lacunae potuisse oboriri suspicionem disseruit; accedit, quod hoc convicium tam singulare et inexspectatum est, ut interpolatoribus tribui non possit. Itaque alterum probandum est. Neque vero video, cur Lennepius Apollonium censeat aliquem versum *post* v. 26 desideravisse, scholiastam igitur mentem eius non percepisse, et Schoemannus illud prius probans Apolloni adnotationem corruptam esse

---

1) l. l. p. 373.

velit et in illo scholio pro '*λείπειν τὸν πρῶτον στίχον*' scribat '*λείπειν τινὰ μετὰ τὸν πρῶτον στίχον*'. Nam cum Musas ab Hesiodo alloquendo exordium duxisse non oporteat, id quoque fieri potuit, ut Apollonius, si verba ei manca esse videbantur, *ante* allocutionem versum deesse putaret. Quid autem suppleverit, non modo non possumus coniectura reperire, sed cum eius suspicionem satis probabilibus causis non esse firmatam inter omnes constet, ne est quidem, cur operam consumamus.

Tum hoc mihi dubium non videtur, quin v. 28 *γηρύσασθαι*, v. 31 Wolfi *δρέψασαι*, v. 32 Muetzelli '*θέσπιν ἵνα*' recte a Schoemanno in textum recepta sint. Quas lectiones iam in librum meum retuleram, cum eius editio in publicum emissa est. Neque minus cum v. 34 *πρῶτόν τε καὶ ὕστερον* ab Hesiodo non esse scriptum appareat, Schoemanno Wolfi *ὕστατον* probanti assentior, sed ea modo condicione, ut verba singula accuratissime non spectentur. Nam etiamsi *πρῶτον*, si per se explicaretur, cum Hesiodus re vera carmen a Musis incipiat, contextui verborum maxime consentaneum esset, tamen, cum similiter laudes deorum singulis carminibus perfectis subiectas esse non modo nusquam alias traditum sit[1]), sed etiam exitu eorum poematum, quae etiam nunc habemus, eae minime confirmentur, *ὕστατον* ab hac interpretatione abhorret. Recte igitur iam Wolfius ad hunc locum *πρῶτόν τε καὶ ὕστατον*

---

[1]) O. Muellerus l. l. tales laudes exitui carminum additas esse falso affirmavit; coniecit enim hanc rem ex hoc solo loco.

censendum esse, ut ita dicam, formulam explicavit, quae a Graecis ibi usurparetur, ubi nos diceremus 'semper et indefesse'. Cuius rei haec affert exempla: Hom. Hymni XXI, 4:

'ἡδυεπὴς πρῶτόν τε καὶ ὕστατον αἰὲν ἀείδει'

et Theogn. v. 3:

'αἰεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἔν τε μέσοισιν ἀείσω.'

Neque vero alia mutanda esse existimo. Nam ut ab eis, qui rationem strophicam secuti sunt, aliquot alii versus eicerentur, a Soetbeerio 26. 31. 32, a Gruppio et Koechlyo 32, eo factum est, quod nihil antiquius habebant, quam ut hanc partem in strophas discernerent. Neque aliud iudicium facio de Koechlyi sententia, qua vv. 22 et 23 post v. 1 transponendi esse affirmantur. Nam aliae causae, quas affert, tam debiles sunt, ut eis solis ad hanc tantam licentiam perductus esse non possit[1]).

§ 7.

De versu 35 et de exitu prooemi Hesiodei.

Cum versibus 1—35 non solum initium Hesiodi prooemi nobis conservatum, sed etiam omnia, quae necessaria essent, dicta esse supra viderimus, non est mirum, quod id totum eis contineri suspicamur. Itaque inprimis hoc quaerendum est, num quid in postremis

---

[1]) Cf. Schoemanni ed. p. 301 sq.

huius partis versibus insit, ex quo prooemium ipsum quoque eis finitum esse conicere possimus. Atque hac in re gravissimus est v. 35. Cuius singula verba quomodo intellegenda sint, cum nondum exploratum sit, et id modo inter omnes constet, narrationis de Musis, ut ad alia transeatur, finem fieri: ab hoc altero mihi liceat in hac disputatione proficisci.

Cum autem causam fuisse abrumpendi necesse sit, hoc nobis proponimus, ut eam cognoscamus. Quam ab eis, qui v. 35 Hesiodei prooemi finem non faciunt, sive 36 sqq. sive alios addunt, recte perspectam esse nego. Goettlingius enim, quod Dodonae deorum consilia ex sacra quercu et Delphis ex specu Parnassi per Pythiam sacerdotem resonaverint, voces, quae sint *δρῦς* et *πέτρα*, coniunctas in proverbialem putans abiise locutionem, si quis de sacris atque divinis rebus pio silentio honorandis cogitaverit, poetam ideo narrationem abrumpere dicit, quod renuntians ea hominibus, quae a Musis sibi concredita essent, res divinas profanaret; cuius rei ut exempla sint, affert cum alia tum Herod. II, 65: *τὰ θεῖα πρήγματα, τὰ ἐγω φεύγω μάλιστα ἀπηγέεσθαι.* At primum Hesiodus non minus quam Homerus nusquam de rebus divinis loqui veretur, id quod Herodotus facit multo altius de deis cogitans, sed per totam Theogoniam, quae ei apta videntur, ea narrat, magna et parva, excelsa et obscoena. Tum non video, quid sanctitatis intersit inter illam de Musarum itinere narrationem et earum laudem vv. 36 sqq. renovatam. Nam non modo ab eis Graecis, quorum temporibus haec scripta sunt, nullum carmen epicum, etiamsi de deis age-

batur, sacrum ducebatur, sed etiam, si talia poemata sacra putata essent, cum et vv. 22 sqq. et vv. 36 sqq. de Musis agatur, utraque pars aeque sacra esset. Itaque Hermannus[1]) quoque errat, qui quamquam de oraculis locutionem, quae est 'δρῦς καὶ πέτρη', derivandam esse concedit, tamen, cum homines ignoraverint, cuius vox e quercu aut saxo audiretur, eam de ianibus quibuscunque rebus usurpatam esse ut μὰψ αὔτως contendens poetam ideo huius partis finem fecisse proponit, quod ea de ianibus rebus dictum sit. Praeterea ab hac sententia abhorret, quod Hesiodus vv. 22—35 de se ipso quoque narrat, eum autem non adeo modestum fuisse et sua despexisse perspicuum est, ut, quae ad se ipsum pertinerent, ea levia et futilia putaret. Et eodem modo atque Hermannus veteres editores abruptionem videntur interpretati esse. Nam cum v. 35 sermonem esse adnotaverint de antiqua fabula, quae homines ex arboribus et lapidibus procreatos esse moneret, eos putavisse necesse est Hesiodum ideo abrupisse, quod vv. 22—35 de se ipso, qui homo esset, narraretur et humanarum rerum descriptio multo levior esset quam divinarum. Cum igitur causa abrumpendi neque in nimia sanctitate neque in nimia inanitate versuum, qui antecedunt, posita esse possit, hoc unum restat, ut eam ex eo sumamus, quod a re proposita aberratum est. Ex versibus enim 33 sqq. poeta cum genus deorum tum Musas praedicare et laudare iussus erat; neutrum autem perficiebatur *narratione* de Musarum cum eo conventu.

---

[1]) In censura Goettlingi editionis. Opusc. tom. VI, 1 p. 155.

Itaque cum illud earum iussum commemorans se aberravisse meminisset, statim narrationis finem fecit. Atque id quoque apparet, quam ad rem transire velit. Cum enim Musae iam vv. 1—4 satis copiose laudatae sint, id solum agere potuit, ut ad Theogoniam ipsam exponendam deflecteret. Hesiodi igitur prooemium re vera v. 35 finitum est; vv. 36—115, quibus in ea Theogoniae forma, quae nobis tradita est, maxima prooemi pars continetur, posteris temporibus ab aliis additi sunt.

Quae cum ita sint, id quoque facilius explorari poterit, quae significatio in versu 35 insit. Ac primum quidem *δρῦς καὶ πέτρη* vel *δρῦς ἢ πέτρη* usitatam formulam fuisse agnoscendum est. Exstat enim non modo hoc loco, sed etiam Il. *X*, 126 sqq.

'οὐ μήν πως νῦν ἔστιν ἀπὸ δρυὸς οὐδ' ἀπὸ πέτρης
τῷ ὀαριζέμεναι, ἅ τε παρθένος ἠίθεός τε,
παρθένος ἠίθεός τ' ὀαρίζετον ἀλλήλοιιν,'

Od. *τ*, 162 sqq.:

'ἀλλὰ καὶ ὧς μοι εἰπὲ τεὸν γένος, ὁππόθεν ἐσσί·
οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου οὐδ' ἀπὸ πέτρης,'

Plat. Apol. p. 34 D: *'καὶ γὰρ τοῦτο αὐτὸ τοῦ Ὁμήρου, οὐδ' ἐγὼ ἀπὸ δρυὸς οὐδ' ἀπὸ πέτρης πέφυκα, ἀλλ' ἐξ ἀνθρώπων, ὥστε καὶ οἱ οἰκεῖοι μοί εἰσι καὶ υἱεῖς'*, Plat. Phaedr. p. 275: *'οἱ δέ γ', ὦ φίλε, ἐν τῷ τοῦ Διὸς τοῦ Δωδωναίου ἱερῷ δρυὸς λόγους ἔφασαν μαντικοὺς πρώτους γενέσθαι· τοῖς μὲν οὖν τότε, ἅτε οὐκ οὖσι σοφοῖς ὥσπερ ὑμεῖς οἱ νέοι, ἀπέχρη δρυὸς καὶ πέτρας ἀκούειν ὑπ' εὐηθείας, εἰ μόνον ἀληθῆ λέγοιεν'*, saepeque apud posterorum temporum scriptores. Plerarumque autem interpretationum, quae propositae sunt, hoc vitium commune

est, quod 'δρῦς καὶ πέτρη' ut ita dicam, per metonymiam intellegendum esse docent et, postquam eius genus secundum unum ex illis locis constituerunt, hoc in omnes transferunt. Illa enim veterum interpretum sententia, quae iam in scholiis indicata est[1]), falso petita est ex Od. *τ*, 162 sqq. et ex Plat. Apol. p. 34 D. Eodemque modo Goettlingius suam ex Plat. Phaedr. p. 275 sumpsit non animadvertens, quam coacte et dure eam aliis locis inprimeret. Gruppius autem ex Il. *X*, 126 sqq. hac formula ea, quae ad rem propositam non spectarent, significari concludens iam illo Odysseae loco eam aliam vim habere confessus est[2]). Ac recte quidem. Nam si nulla opinione praeoccupati omnes illos locos consideramus, eam non semper per eandem metonymiam, sed diversis modis adhibitam esse apparet. Itaque ea modo condicione vera reperiemns, si metonymia plane neglecta propriam et simplicem vocabulorum, quae sunt δρῦς et πέτρα, vim spectaverimus. Atque equidem existimo δρῦς καὶ πέτρη comparandum esse cum nostro 'Feld und Wald', praesertim cum differentia, quae inter haec interest, facile eo explicetur, quod in Graecia montes et saxa multo maiorem terrae partem

---

[1]) *Εἰς τί τοῦτο καιροῦ ἐπείγοντος ἀρχαιολογῶ, καθάπερ οἱ ἐν δρυσὶ καὶ πέτραις κατατιθέμενοι τέκνα ἢ λέγοντες αὐτοὺς ἐκ δρυὸς γεγεννῆσθαι ἢ πέτρης;* Cf. etiam Preller: Die Vorstellungen der Alten, insbesondere der Griechen von dem Ursprunge und den ältesten Schicksalen des Menschengeschlechts. Ausgewählte Aufsätze aus dem Gebiet der Alterthumswissenschaft. Berlin 1864.

[2]) Cf. l. l. p. 38 sqq.

continent quam in Germania. Itaque si ad locum quendam significandum adhibetur, is hominum sedibus opponitur, ut Od. *τ*, 163 Penelope dicat: 'Neque enim talis videris, quales ei sunt, qui infantes a parentibus locis hominibus vacuis expositi nesciunt, quibus nati sunt, sed quales ei sunt, qui a parvulis parentum beneficio curati et educati sunt, ut eorum nomina non ignorent.' Utrum autem Plato Apol. p. 34 hunc locum aliter intellexerit necne, diudicari non potest. Sed etiamsi hoc affirmatur, tamen cum non sit, cur ne Platonem quidem eum perspexisse negemus, ea interpretatio, quam equidem secutus sum, minime refutatur. Si autem hac formula ea significantur, de quibus dicitur, cum hominum animi eo solo sermone alliciantur, quo de novis et gravibus rebus, non quo de silvis et montibus omnibus notis agitur, de rebus levibus et vilibus verba fieri narrantur, ut cum *λόγοις ἀπὸ δρυὸς ἢ ἀπὸ πέτρης*, qui Il. *X*, 126 sqq. commemorati sunt, eos sermones comparare possimus, quos nos de tempestate instituimus. Eos autem, qui amant, de his rebus parvis colloqui inprimisque ab eis initium sermonis ducere cum ab aliis tum a Theocrito satis descriptum est. Illo denique Phaedri loco Plato mentione quercus Dodonaeae perductus videtur, ut formulam usurparet. Itaque ne id quidem constat, eum '*πέτρας*' addentem re vera oraculum Delphicum spectavisse.

Quae cum ita sint, de Hesiodi quidem versu primum quaerendum est, utrum praepositione, quae est *περί*, locus declaretur an relatio, quam vocant. Atque Gruppius hoc alterum probans versum 35 similiter in-

tellegendum esse putavit atque Il. *X*, 126, ut vocibus *δρῦς ἢ πέτρῃ* ad ea respiceretur, quae versibus, qui antecedunt, narrata essent. At in eis nusquam de quercu vel saxo dicitur, metonymiam autem concedi posse iam supra negavi. Iliadis enim ille versus eo ipso ab hoc loco differt, quod ei, qui amant, ibi re vera de quercu et saxo confabulari dicuntur. Itaque *περὶ* ad locum definiendum scriptum esse putamus, et cum Hesiodus in Heliconis radicibus greges pavisse v. 23 narretur, haec sola regio verbis, quae sunt *περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην*, spectata esse potest.

Neque vero iam omnia diudicata sunt. Nam Schoemannus, quamquam, quid praepositio *περί* hoc loco sibi vellet, recte perspexit, tamen falso explanat[1]): 'Was hilft's mir, dafs ich dies, was mir die Musen anbefohlen, bei Baum und Fels, d. h. wo nur Baum und Fels in der Nähe sind, verkündige: wozu denn der Gegensatz: ich mufs mich unter die Leute begeben, die mich hören können, sich von selbst versteht'[2]). Quo enim modo haec sententia apta sit vel ei prooemi formae, quae tradita est, vel toti Theogoniae, non reperio[3]). Nisi forte hoc carmen ex compluribus diversis poematis consarcinatum esse probans vv. 22—35 par-

---

[1]) Cf. eius edit. p. 303.

[2]) Hanc sententiam iam Kayserus l. l. p. 162 secutus esse videtur dicens: 'Hesiod oder wer die Worte (sc. 35) gebrauchte, ist der Prediger in der Wüste, der seine Reden umsonst hält.'

[3]) Atque etiam minus sequemur eum in edit. p. 41 suadentem, ut *περὶ* in *ποτέ* mutetur.

tem modo esse putas amplioris cuiusdam narrationis, ut v. 35 eis, quae sequebantur, illustratus sit. Sed, multo rectius *περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην* cum *ταῦτα* coniungitur[1]), ut ea, quae modo narrata sunt, spectentur. Aptissime[2]) igitur poeta eorum finem faciens dicit: Sed quorsum ea narro, quae sub Helicone mihi acciderunt? Supplendum enim est: Potius id, quod Musae iusserunt, exsequens deorum genus praedicare volo. Atque etiam verisimile mihi videtur aliquid eiusmodi in Hesiodi prooemio versum 35 transeundi causa secutum esse, quamquam hoc demonstrari non posse haud ignoro. Nam quamquam eorum versuum, qui in ea forma, quam nos habemus, sequuntur, nullus ad hanc rem idoneus est, tamen in illis inserendis facile fieri potuit, ut contextus et continuationis causa hic vel hi versus eicerentur.

Eis igitur, qui versum 35 ab Hesiodo abiudicant, iustae non possunt esse causae. Atque Muellerus cum eum in censura libri Muetzelliani in suspicionem non vocavisset, ut postea in lectionibus suis eum Hesiodo adimeret[3]), a Klausenio perductus esse videtur, qui hoc impediri dixerat[4]), quominus vv. 68—74 cum 1—35 coniungerentur, id quod ille proposuerat. Tum Kay-

---

[1]) Hoc iam O. Muellerus proposuit l. l. p. 1378 adnot., sed eo erravit, quod metonymiam inesse concedens hac formula rusticorum simplicitatem exprimi putavit.

[2]) Singularem autem hilaritatem, quam Gruppius l. l. p. 40 in versu 35 inesse putat, reperire non potui.

[3]) Cf. Gruppi l. l. p. 4, maxime adnotat.

[4]) l. l. p. 441.

serus[1]) intellegere non potest, cur Hesiodus, quippe cui Musae imperaverint, ut se ipsas maxime praedicaret, propter hanc laudem verba, quibus se excuset, quaerenda esse censeat. At Musas non laudavit, sed de eis narravit. Denique Deitersius[2]) hunc versum eiecit, quod ortus esset inscitissima Homeri imitatione sententiaeque et sermonis difficultatibus summis laboraret. Quem consarcinatum esse proposuit ex Il. *X*, 126 et 122 'ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός'; At non esse mirum iam supra vidimus, quod duae epicae orationis formulae usitatae duobus locis forte coniunctae essent. Versum denique 35 aliquid contorti et invenusti habere Wolfius et Deitersius contenderunt, non demonstraverunt.

---

1) l. l. p. 162.
2) l. l. p. 7.

APPENDIX.

Hesiodi exordium.

Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ᾽ ἀείδειν, 1
αἵθ᾽ Ἑλικῶνος ἔχουσιν ὄρος μέγα τε ζάθεόν τε
καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα πόσσ᾽ ἁπαλοῖσιν
ὀρχεῦνται καὶ βωμὸν ἐρισθενέος Κρονίωνος, 4
ἔνθεν ἀπορνύμεναι, κεκαλύμμεναι ἠέρι πολλῇ, 9
ἐννύχιαι στεῖχον περικαλλέα ὄσσαν ἱεῖσαι. 10
αἵ νύ ποθ᾽ Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδὴν 22
ἄρνας ποιμαίνονθ᾽ Ἑλικῶνος ὕπο ζαθέοιο.
τόνδε δέ με πρώτιστα θεαὶ πρὸς μῦθον ἔειπον· 24
ποιμένες ἄγραυλοι, κάκ᾽ ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον, 26
ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,

---

1) καί τε λοεσσάμεναι τέρενα χρόα Περμησσοῖο 5
ἢ Ἵππου κρήνης ἢ Ὀλμειοῦ ζαθέοιο
ἀκροτάτῳ Ἑλικῶνι χοροὺς ἐνεποιήσαντο
καλούς, ἱμερόεντας· ἐπερρώσαντο δὲ ποσσίν. 8

2) ὑμνεῦσαι Δία τ᾽ αἰγίοχον καὶ πότνιαν Ἥρην, 11
Ἀργείην, χρυσέοισι πεδίλοις ἐμβεβαυῖαν,
κούρην τ᾽ αἰγιόχοιο Διὸς γλαυκῶπιν Ἀθήνην
Φοῖβον τ᾽ Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν
ἠδὲ Ποσειδάωνα γαιήοχον, ἐννοσίγαιον, 15

ἴδμεν δ', εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀληθέα γηρύσασθαι.
ὣς ἔφασαν κοῦραι μεγάλου Διὸς ἀρτιέπειαι,
καί μοι σκῆπτρον ἔδον δάφνης ἐριθηλέος ὄζον
δρέψασαι, θηητόν· ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν
θέσπιν, ἵνα κλείοιμι τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα,
καί με κέλονθ' ὑμνεῖν μακάρων γένος αἰὲν ἐόντων,
σφᾶς δ' αὐτὰς πρῶτον τε καὶ ὕστατον αἰὲν ἀείδειν.
ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην;
. . . .

καὶ Θέμιν αἰδοίην ἑλικοβλέφαρόν τ' Ἀφροδίτην
Ἥβην τε χρυσοστέφανον καλήν τε Διώνην
Ἠῶ τ' Ἠέλιόν τε μέγαν λαμπράν τε Σελήνην
Λητώ τ' Ἰαπετόν τε ἰδὲ Κρόνον ἀγκυλομήτην
Γαῖαν τ' Ὠκεανόν τε μέγαν καὶ Νύκτα μέλαιναν
ἄλλων τ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων.

3) *Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.*